



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Titvli Capitvlorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

tur, decipientur, aut opprimantur, seu pœnis & sententiis per processum ipsum infictis & comminatis inuoluantur, sibi prouidere valeant cautius, & ne prætendere super his valeant ignorantiam, in eisdem partibus solenniter publicari; fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ distictius iniungendo mandamus, quantum per te vel alium, seu alios religiosos & sæculares, de quibus tibi videbitur, processum eumdem, & omnia, & singula que continentur in eo, in locis & ecclesiis tuarum ciuitatis & dioceſeos, de quibus expedire videbis, eis expositis in vulgari, nihilo minus ut clarius intelligentur, publicare solenniter, ipsumque Ludouicum excommunicatum, hæreticum & schismaticum, singulis diebus festiuis & dominicis publice studeas nuntiare: Nos de publicatione huiusmodi per instrumenta publica, principium & finem præsentium continentia, redditurus quantocius poteris nihilo minus certiores. Datum Auinione tertio Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno XIV.

## C O N C I L I V M R A V E N N A T E IV.

A N N O C H R I S T I  
1317.  
CELEBRAT V M B O N O N I Æ,  
Anno Domini MCCCXVII. tempore Ioannis papæ XX.

## T I T V L I C A P I T V L O R V M .

- I. *Quod episcopus ponat æconomum ad custodiā rerum vacantium ecclesiarum.*
- II. *Quod nullus presumat in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci sibi fuerit animarum cura commissa.*
- III. *Quod quilibet se faciat promovēri infra annum ad ordinem, quem requirit beneficium suum.*
- IV. *De vita & honestate clericorum, & ornatu eorum.*
- V. *Quod nullus de cetero recipiatur in canonicum cathedralis ecclesie, vel in monachum, seu fratrem alicuius monasterii, seu re-*
- gularis ecclesie, sine licentia speciali sui ordinarii.*
- VI. *Quod nullus recipiatur in aliquo monasterio, seu regulari loco, per potentiam laicorum.*
- VII. *De denuntiatione sienda metropolitanō de beneficiis vacantibus, ad eum deuolutis.*
- VIII. *Quod certus canonicorum numerus statuatur in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, ubi non est ab antiquo statutus.*
- IX. *De clericis non residentibus.*
- X. *De quotidianis distributionibus.*
- XI. *De censibus & collectis imponendis.*

- ANNO CHRISTI 1317.
- XII. *De celebratione missarum.*
  - XIII. *Quod nullus archipresbyter, prepositus, vel pralatus inferior episcopo possit in ecclesiis sibi subiectis inquisitiones formare, accusationes admittere, vel ad priuationem procedere contra clericos earumdem ecclesiarum.*
  - XIV. *De Iudeis.*
  - XV. *De cautione recipienda ab usurariis, & de pannis recipientium usurarios ad ecclesiastica sacramenta, seu sepulturam.*
  - XVI. *De pena procurantium male ablata incerta legari sub alio nomine, seu modo.*
  - XVII. *Quod clerici & religiosi a venationibus se abstineant.*
  - XVIII. *De pena iudicium secularium, qui clericos repertos cum armis, vel in aliis maleficiis deprehensos, detentos, retinent, vel ad suum iudicem opprobriose remittunt.*
  - XIX. *Quod nullus pro eodem delicto debeat duplii pena puniri.*
  - XX. *De indulgentiis seu remissionibus.*
  - XXI. *De exequiis episcoporum nuntiandis per capitula ecclesiasticalium archiepiscopo & suffraganeis, ut devote ab omnibus celebrantur.*
  - XXII. *De beneficiis & indulgentiis concessis in Concilio, & de potestate dispensandi & interpretandi constitutiones Concilii.*
  - XXIII. *De demoniis.*
  - XXIV. *De salariis notariorum, & sigilliferorum.*

### P R A E F A T I O.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ  
Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.  
Amen.

**Q**VANTA sint veneratione digna sacrorum Conciliorum statuta, maxime Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis, quæ, sicut quatuor euangelia, suscipere & venerari tenemur, ac sanctorum patrum aliorum Concilia & statuta, qui Spiritu sancto illuminati fuerunt, nemo est qui ignoret. Cum igitur ab ipsis sanctis patribus, in ipsis sacris Conciliis, inter cetera fuerit præordinatum & salubriter constitutum, prouincialia Concilia fieri debere, vt ea quæ correctione & reformatio ne egent, nullatenus negligantur, ita quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum obseruaretur aduersus: idcirco nos Rainaldus permissione diuina, & apostolicæ sedis gratia sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopus, considerantes quod quanaplures maxime viri ecclesiastici, tum ex temporū tempestate, tum ex morum corruptione & leuitate, tum ex elatione & vanitate, tum ex tenaci & auida cupiditate, tum ex crassa igno-

D iiij